

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 149

Haec carta indicat atque conservat quod dedit Comaltcar, presbyter, alodium suum, id est, Ran Riantcar, cum villa que vocatur Trebnouuid, que est in plebe Rufiac, cum massis et manentibus, cum terris cultis et incultis, silvis, pratis, pascuis; aquis, et cum omnibus appendiciis suis, Sancto Salvatori in Rotono monasterio et suis monachis, in elemosina pro anima sua, ita tamen ut ipse Comaltcar, quamdiu vixerit, teneat supradictum alodium et reddat censem de eo, singulis annis, quod voluerint; et post mortem eius, Finituueten frater eius, si supervixerit, reddat supradictum censem Sancto Salvatori et supradictis monachis; postea autem maneat supradictum alodium inconvulsum et in monachia sempiterna supradicto Sancto Salvatori in Rotono et suis monachis, sine ullo censu, sine tributo, sine opere ulli homini sub caelo nisi supradicto Sancto Salvatori et supradictis monachis. Factum est hoc .XV. kalendas iun., .III. feria, coram his testibus; Comaltcar, presbyter, qui dedit et firmare rogavit, testis; Finituueten, presbyter, testis; Dumuualart, testis; Iarnhitin, testis; Miot, testis; Precoes, testis; Nodhoiarn, testis; Haellifois, testis; Conuili, testis; Tanetuueten, testis; Exaudi, testis. Factum est hoc .VII. anno gubernante Salomone Britanniam, Conuuion abbate in Rotono monasterio.